

spondeat Augustinus, accipe. *Cernis hominem, inquit, Paradisum, atque Mansiones, quæ sunt apud Patrem, a Regno separare Cælorum, ut etiam non baptizatis abundant Loca Sempiternæ Felicitatis. Nec videt, quum ista dicit, ita se nolle Baptizati cuiuspiam parvuli Mansionem a Cælorum Regno separare, ut ipsam Dei Patris Domum, vel aliquas partes ejus, inde separare non timeat. Neque enim Dominus Jesus in universitate creaturæ, vel in qualibet universitatis parte, sed in Domo Patris mei, dixit, Mansiones multæ sunt. Quomodo ergo erit in Dei Patris Domo non baptizatus, quum Deum patrem habere non possit nisi renatus? En ubi statuat Augustinus Paradisum: in Regno Cælorum. Ibi multæ Mansiones & quidem in Domo Patris mei, inquit Dominus; & quidem loca unaquæque ineffabilis Beatitatis, quanquam diversi gradus, diversæ claritatis, pro diversitate meritorum, quæ singulæ mansiones in Domo Patris mei. Proinde S. idem Doctor infra lib. III. c. XI. ad ipsum Vincentium Victorem scribens, ait: *Noli credere, nec dicere, nec docere: aliquas Mansiones esse extra Regnum Dei, quas esse Dominus dixit in Domo Patris sui; si vis esse Catholicus. Neque nunc opus est, quaerere, atque disserere, utrum Regnum Dei, Regnumque Cælorum, cum aliqua differentia sit intelligendum; an res una sit duobus appellata nominibus. Mansiones autem aliquas constitutas in Domo Dei separare a Regno Dei, quam sit a veritate devium, puto, quod jam intelligas. Infra cap. XIII. errorem rursus appellat, quo Vincentius Victor a Regno Dei Paradisum separare audeat. Porro alibi, hoc est lib. II. Quæstion. Evangelicar. quæst. 37. S. idem Augustinus magnifice de Sinu Abrahæ loquitur in hæc verba: *Sinus Abrahæ, Requies Pauperum beatorum, quorum est Regnum Cælorum, in quo Post hanc Vitam recipiuntur. Immo is infra sub Lazari nomine significare posse Dominum ipsum putat, hæc inter alia scribens: Jam Sinus Abrahæ intelligitur Secretum Patris, quo post passionem resurgens assumptus est Dominus. Reliqua ibi vide, ut demum percipias, quum Augustinus de Receptaculis, de Sinu Abrahæ, de Mansionibus loquitur, semper de locis sempiternæ Beatitudinis loqui, & quidem in Cælo postis atque in Domo Patris: quod etiam rursus inculcavit Tractat. LXVII. in Jo: Evangelium.***

Et quanquam magnus Hipponensis Antistes non semel sensit videtur, *Regnum Dei, aut Cælorum, non idem esse cum Paradiso, atque in eo tantum Regno, quum Resurrectio advenerit, sperandum esse omnibus absolutam Beatitatem, perfectamque Dei Visionem: ne puta, visum fuisse ipsi Paradisum ac Sinum Abrahæ experientem Beatitudinis, Visionisque & Præsentis Dei. Id supra ostendimus. Id rursus confirmatum eo. In eo ipso lib. XII. Genes. ad liter. quem nobis Barætas frustra opposuit, auctor est Augustinus cap. 32. Animam, quam de Corpore exit, non ad Corporalia sed Incorporalia Loca ferri, sive Pœnaliam, sive Quietis atque Gaudiorum. Naque enim, ait subsequenti cap. 33. *Abraham, vel ille Pauper in Sinu ejus, hoc est, in secreto Quietis ejus, in doloribus erat, inter quorum Requiem, & illa Inferni Tormenta legimus**